Machatar Joannis: Astraea unicuique quod suum est tribuens.

ASTRÆA
Vnicuiqué quod ſuum eſt tribuens.

Quam

Pro conſequendo in Iure vtroqué Doctoratu

S V B

Feliciſſimis Auſpicijs

Magnifici, Clariſſimi, & Excellentiſſimi Domini,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Profeſſoris, Conſulis Vrbis meritiſsimi, & Studij Generalis Almæ Vniuerſitatis Cracou: Rectoris Vigilantiſsimi.

P E R

Clariſſimum & Admodum Reuerendum Dominum,

D. M. ANDREAM GRABIANOWSKI,

V. I. D. & Prothonotarium Apoſtolicum, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Scholaſticum, Promotorem ac Præcepto-rem ſuum colendiſſimum.

Perilluſtris, Clariſſimus, & Admodum Reuerendus Dominus,

D. IOANNES HENRICVS HEYMAN,

Cathedralis Eccleſiæ Vratiſlauienſis: & Niſſen: ad S. Iacobum Canonicus, ibidemqué Archipresbyter & Parochus, I. V. Baccalaureus Doctorandus,

A D

Theatrum Lucis publicæ in Collegio DD. Iuriſconſultorum euocauit

A

M. IOANNE MACHATAR de Wiſchouia Morauo, In Almâ Academiâ Cracou: Philoſophiæ Profeſſore, Coll: Minor: Leucadia Apollinis Lyrâ; tanquam Conterraneo ſuo boni affectus causâ Salutata veneratur.

Anno à Chriſto Incarnato, 1658. Menſe Nouembr. Die Hora 8.

C R A C O V I Æ,

In Officina Typographica, Viduæ & Heredum Franciſci Cezary, S. R. M. Typographi.

TESSERA

Grati Animi,

AD

Clarissimum & Admodum Reuerendum Dominum,

D. M. ANDREAM GRABIANOWSKI,

J. V. D. & Professorem, Prothonotarium Apostolicum, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cracouiæ Scholasticum.

Dominum & Patronum Colendissimum.

Non possum mihi non gratulari Clarissime Domine diuturni desiderij, cuius spe non inani aliqua sed stabili distentus hucusq; tenebar, recurrente solis quadriga hodie cupidæ expectationis exordium me feliciter assecutum, esse. Cùm enim tot à Te deuictus benefactis, quò in me animo futurus esses benè sperandi, spem tacitâ sæpè mente mihi auxissem, de Te autem obsequijs meis merendi, occasio rara aut nulla potius data fuisset, cæpi cunctari sedulo animo. & penitus ingratus Tibi videri: nisi luctam cunctandi præsens tempus in lætum vertisset argumentum. Indicium & quoddam nouo ac inusitato more lætandi signum, quod insolita animo meo inserit hilaritas, iure æquo duplex contestandum inuenio. Alterum faustus fortunæ Tuæ index est, & præclarum de omnibus benè merendi studium. Alterum sincerus in docendo & apertus, non modo erga indigenas sed & in Aduenas doctrinæ Tuæ nitor. Fortunam non illam fucatæ gloriæ labilibus fulcris innixam nomino, at eam quam immortalitatis laus pedissequa inuita sequitur, vno in loco pedem figere nesciam, cuius beneficio veri honoris mensura metitur, perquam sapiente cum illo Socrate tantus quisq; est quantus animus eius est, atq; propterea tam honoratus quàm bonus & sapiens. Naturæ bonitas Virtutis Tuæ quam suaues diffundat odores, alij suspiciunt & mirantur, Tu integritatis Tuæ, pietatis, modestiæ, & præclaræ Eruditionis famâ impleuisti, & quidem tam feliciter, vt non desint, nec deerunt, qui Tuarum virtutum longè illustrium Spectatores accurati, & præcones exquisiti futuri sint. Quid autem de insitâ bonitati Tuæ illa beneficâ facilitate, legitimus eius Censor eloquar? ad dandum nimirum nusquam molesta sed prompta, in dando constans, quod verbis effert re comprobat, solius Dei scitu cognita, quam licet Tua sit verecundiæ inter secreta cordis penetralia obuersari abditam, mei tamen muneris est eius palàm meminisse nec vsquam obliuisci: cum omnis ingratitudo Tullio volente 1. Offic. morte sit plectenda si obsolescat benefactorum memoria, quo ad igitur vixero.

Auxilium Seruatoremque fatebor.

Dotes ingenij ac pulchrorum conatuum specimina, quæ Tuarum Virtutum ac honoris testimonium sunt, quamuis omnia publica laudationum monumenta, Panegyrici, Epæni, Eloquia taceant

Conspicuus gratusque geretur sub Te Teste labor.

Sileam ego præ Tua meaq; verecundia & modestia, sed Tuæ fideliter in artibus scientiarum nauatæ operæ, industria, vigiliæ, dexteritas, earundemq; fructus, merita, in angusto latere, aut arcto concludi angulo nescia, in latissimum quà possunt se se exporrigunt campum, neq; contenta Stagyræ pulpita subtili ingenij acumine, & doctæ Palladis odoribus impleuisse, rostra Astrææ fulgoribus occupasse, in lucem Orbis Lechici euocata, atq; in altius honoris Ecclesiastici Candelabrum sublata pulchro bonorum exemplo illustrant Ecclesiam, intueatur Te quispiam Themidis Possessorem, fatebitur Iureconsultum publicis subsellijs sacroq; Tribunali non sine fructu publicæ vtilitatis adsciri. Probet iustus Censor Te omni genere scientiarum decorum, non alium testem nisi, rectè & præclarè à Te factorum optimè consciam mentem ad illud inducere poterit testimonium, per quod Te hominem in Ecclesia Dei Laureatum, in Repub. literaria Ciuem esse exinde didiceris, cùm honorem & felicitatem, non nisi eo animo quo & quidem præcipuo sumus homines, quærere consueueris. Atq; inde est cur non modò patrij soli Alumni ad portionem doctrinæ Tuæ communicandam accurrant, sed & Exoticarum Nationum fæcunda soboles, à Te Laureata pro Ecclesiâ, pro patriâ trabeata fieri cupiat. Vtere hac Tua fortuna feliciter, qui, cum, Populari meo non solidæ duntaxat in Iure vtroq; Doctrinæ Tua industria dotes communicaueris, sed & Doctoratus Lauream contuleris: Ego pro hoc tanto in nos Aduenas præstito amore, & pro exhibitis Tuæ in me humanitatis benefactis, eas facio gratias, quas Tua Virtus meretur, mea tenuitas offerre potest. Rudem verò lucubrationem hanc, exigua temporis mora partam, vt æqui bonique consulas, & in grati animi significationem Tesseram bono recipias animo obnixè precor; hæc tametsi Perillustri Clarissimo & Admodum Reuerendo Domino Populari meo, honori recensque eius oblato seruiat, tamen Tua potiore iure est, & Tibi debetur, cùm & hic & Ego Tui. Amplectere rude opus & Tuum vtrumque ama Tibi & vtri nostrum diutissimè viue.

Clarissimæ Dominationis Vestræ
Intimus
M. IOANNES MACHATAR

Ad Perillustrem Clarissimum & Admodum Reuerendum Dominum, in vtroquè Iure Doctoratus Laureâ decorandum.

D. IOANNEM HENRICVM HEYMAN,

Vratislauiensem Canonicum, & Nissens. ibidemque Archipresbyterum.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Rocul rapaces cedite Barbari,
Alas timori nectite præpetes
Suecique, perfidique Moschi,
Perniciem Lechiæ minantes.
Per infideles Lasthenidûm plagas
Abite, quot quot tam malè gentium
Commune periuri; resectis
Fæderibus temeratis æquum.
Irata Iuno discute turbines,
Excede Regnis Sarmaticis furor,
Nubem tremendam sæclâ nulla,
Sauromatas timuisse norunt.
Astræa Diuûm fœtus, & Incola,
Ad ima celso fertur ab æthere,
Soractium princeps sororum,
Pacifero comitata cætu.
Astræa celsum Iustitiæ bonum,
Effæminati robur Atilicum
Samsonis, euulsis columnis
Punijt, eripuitque culpam.
Gentes nefandi Criminis exules
Extinxit ob crimina, dum suos
Phædræque & Ægysti penates
Polluerint grauiore lapsu?
Effusus [illegible] Legionibus
Armauit hostem pontus, & æstuans
Vltrice tempestas profundo
Imbriferas celerauit iras,
Totusque noxam vix sibi cognitam
Lugebat Orbis. Nuncia carcere
Dimissa, tandem pacem oliuâ
Fida Noë peperit columba.
Ærata bellorum illuuies, pares
In Te ruinas expuit heû Leche?
Quas Augur elapsis Cometes
Euomuit furiosus annis?
Procul profani at Moschiadûm, procul
Suecique nisus: nubibus affluit
Astræa deletura vastis
Robur inane vadis, Polonæ
Amica terræ. Supplicibus precum
Vocata votis, maior humo venit
Extorsa ferro; pace prisca
Terrigenas iterum reuisit.
Quâ, Marte pulsos, quâ sine fructibus
Musarum Alumnos Palladis anxiæ,
Antiquum in alueum reducat
Exoritur rediuiua. Sæuas

 Relin.

Relinque clades, linque neces ait;
Descende Mauors in noua Classica,
At non cruento fas sit ausu,
Lite nec, exmacerasse Diuam.
Audace Pallas pectore plumbeas
Explode curas, blandior Ægyda
Absolue, consueto æquitatis
Iure, resolue acies furoris?
Pacem reuersam dum bene nunciat
Astræa Musis, dum bene Moschici
Confusa tempestas Tyranni,
Sarmatico cadit icta telo.
Sat otij, multumque datum moræ,
Dic Pallas arctois redeat choris,
Pergat corusca Xysta, pergat
Scandere HEYMAN Lechicæ Mineruæ.
Vocate veni, pristina Palladis
Et loca occupat sors bona Manlij,
Doctorum amæno Laureande
I citus accelera corymbo.
I, Diua queîs Te ire velit vijs,
HEYMAN Decus [illegible] grande, Silesiæ
Dature iura prodi: vsitatis
Pulpita adi redimita sertis.
Vix Te ortui vitæ puerum themys
Vidit dari, mox vatis Aruspicis
Oraculo persuasa, quod sis
Iusta Camillus amansque verum
Pro te obsidem se strinxit Apollini,
Fallis ne Diuam! fallere nescius
Vt parcas voto volenti,
Per varias lubet ire terras.
Et copiam doctæ Experientiæ
Libare: tanquam mellis opes phalanx
Apum metit, per Regna nosse
Iustitiam generosus ibas.
Quem Roma maior pars Sapientiæ,
Primæua Romanæ fidei parens
Suspexit, erudiuit Oræ,
Theutonicæ, Lechicæque Pallas.
Tu CAROLI magni Lechiæ patris,
Et Principis stirpis Iagelonia
Non mortui sed vsque viui,
Deliciæ: bona spes futuri
Solatij. [illegible] iubar viro
Viro Schonæo, patritio patri
Glogouiano, atquê vniuersæ
Sarmatiæ nitido nitori.
Lauru comas huic cinxerat æquitas,
Te lauru inornat par simul æquitas,
Amplexus aureas corollas,
In patrios reuehes penates.
Quæ & quanta VRATISLAVIA gaudia,
Quæ NISSA? quæ vel tota Silesia
(Sperate) sentiet? feres his
Sole dies reuehente faustos.